Quelle: https://manuscripta.at/?ID=967
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt. deum quem non videt quomodo potest diligere. Et hoc mandatum habemus a deo. ut qui diligit deum diligat et fratrem suum. Gradualis. Ego dixi domine miserere mei sana animam meam quia peccavi tibi. ℣. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem in die mala liberabit eum dominus. Alleluia. ℣. Domine deus meus in te speravi saluum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me. Sequentia sancti evangelii secundum lucam. In illo tempore. Dixit dominus hanc parabolam. Homo quidam erat dives: et induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide. Erat autem quidam mendicus nomine lazarus: qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus cupiens satiari de micis que cadebant de mensa divitis et nemo illi dabat. Sed et canes venientes lingebant ulcera eius. Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum abrahe. Mortuus est autem et divites et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis. Vidit abraham a longe: et lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit. Pater abraham miserere mihi. et mitte lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam: ut refrigeret linguam meam. Quia cruciatus sum in hac flamma. Et dixit illi abraham. Fili recordare quia recepisti bona in vita tua: et lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint neque inde huc transmeare. Et ait. Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres. ut testetur illis ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum. Et ait illi abraham. Habent moysen et prophetas audiant illos. At ille dixit. Non pater abraham sed si quis ex mortuis ierit ad eos: penitentiam agent. Ait autem illi abraham. Si moysen et prophetas non audiunt